in loco aliquo celi propter veri corporis modum. **Pars secunda de eo quod per**
Christum datur spiritus a capite in membra
diffuso

Scriptum est quia lex neminem
ad perfectum adduxit. Lex et ignorantiam docere potuit. infirmitatem adiuva
re non potuit. Duo enim mala in homine fuerunt et ex his cetera mala hominis processerunt. Unum
fuit ignorantia. aliud concupiscentia. Ignorantia boni. concupiscentia mali.
Ex ignorantia venit delictum. ex concupiscentia peccatum. Hec ergo duo in homine ab initio
fuerunt. Sed ut cognosceret homo morbum suum. dimissus est tot. tempore. ne forte gratiam
superfluam iudicaret. si prius infirmitatis sue defectum non agnosceret. Positus est
quidem primo sub tempore naturalis legis. ut natura per se operaretur. non quod per se quicquam possibile. sed ut se
non posse agnosceret. Illa quidem relicta errare cepit a veritate per ignorantiam.
et convicta est de cecitate. Postmodum et convincenda de infirmitate data est lex
ut ignorantiam illuminaret. sed infirmitatem non corroboraret. In ista par
te homo qui defectum suum agnovit iuvaretur. Ubi autem per se stare putavit relin
queretur. Accepta quidem scientia veritatis per legem concupiscentia cepit. cepit in perficeret. sed per se
concupiscentia. dum gratiam adiuvantem non habuit. ab opere virtutis defecit. Con
victum est quidem in utroque. quia videlicet per se nec verum potest agnoscere nec bonum perfi
cere. Postmodum hec itaque evenerunt. gratia data est. que et illuminaret cecum et sana
ret infirmum. Illuminaret ignorantiam. refrenaret concupiscentiam.
Illuminaret ad cognitionem veritatis. inflammaret ad amorem vir
tutis. Propterea spiritus sanctus in igne datus est ut luminaret et inflammaret. lu
men ad cognitionem. flammam ad dilectionem. Porro sicut spiritus hominis me
diante capite ad membra vivificanda descendit. sic spiritus sanctus per Christum
venit ad christianos. Caput est Christus. membra christiani. Caput unum. membra
multa et constat unum corpus ex capite et membris. et in uno corpore spiritus unus.
Cuius plenitudo quidem in capite est. participatio in membris. Si igitur corpus unum
est et spiritus unus. quod in corpore ipso non est a spiritu vivificari non potest. Sic scriptum